



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

Ad eos qui Sacramentum Ordinis accedunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

ipsam carnis claustra contemplatione transibat, quod mortem
 quoque quae cunctis pena est, videlicet ut expressum vitæ ac laboris
 sui primum amabat. Descripsit & malum Monachum S. An-
 ton. de Padua in Dom. 2. Advent. *Quid existis in desertum
 videre arundinem vento agitatam? Nota quod arundo radicem
 habet in luto, in quo gula, & luxuria; vacua interior, pulchra
 exterior &c. In quo mentis instabilitas designatur, infelix &
 maledictum illud claustrum in quo talis arbor plantatus, & crescit.
 Sed notandum quod S. Basil. in Institut. Contingit aliquando
 ut qualescunque in nobis culpe, aut quantula, humanaque tentatio,
 is qui extra cernuntur improbe meditantibus, pro maximis cen-
 seatur &c. Qui nihil experitur facilem putat omnibus victoriam &c.*

Adeos qui Sacramentum Ordinis accedunt.

QUI accedunt ad sumendam S. Eucharistiam, monet A-
 postolus ut se probent. Quidsi etiam se probare debe-
 ant qui ad conficiendam accedunt, qui Personam Christi ge-
 sturi, qui ejus potestate usuri, qui Mediatores inter Christum
 & populum futuri? &c. Greg. lib. 6. in 1. Reg. c. 3. *Samuel
 ait, sanctificamini & venite mecum ut immolemus. Si interesse
 sacrificiis non audent nisi sanctificati, quid de sacrificandis censa-
 dum? Ante videre debent an à DEO vocati veniant, quia
 ut docet Paulus. Nemo sibi sumit honorem Sacerdotii sed qui
 vocatur à DEO sicut Aaron. Si autem DEUS non vocat, non
 faciat idoneum Ministrum Evangelii, non dabit auxilia &
 gratias ut hoc ministerium ad salutem animæ suæ & aliorum
 obeat. Si enim etiam aliquando vocatis justo suo judicio hæc
 subtrahit, quomodo non vocatus potest illa sperare? Bern.
 Epist. 109. *O Judiciorum DEI abyssus multa, o terribilis in consiliis
 DEUS Super filios hominum! Spiritum donavit quem erat de nudò
 F 3 abla-**

ablaturus, ut esset supra modum peccans peccatum, & gratia sub-
 intravit ut abundaret delictum, quod tamen non fuit culpa dantis
 sed addentis provaricationem, sui nimirum arbitrii erat, qui male
 liber liberum habuit contristare spiritum, contemnere gratiam &c.
 Vocatio non est à DEO quæ non est propter DEUM tales ni-
 mirum vocat Mammona, vocat otium &c. Probat seipsum
 an possit mundum contemnere? Bern. in declamat. Clericus
 qui partem habet in terra non habet partem in caelo. Itaque Cle-
 ricus si quidpiam habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Do-
 minus, v. g. si aurum, si possessiones, si variam supellestem, cum
 istis pars ejus fieri non dignatur, &c. Videat an possit castè
 vivere? Malach. i. O sacerdotes qui despiciis nomen meum! &
 dixistis, in quo despeximus nomen tuum? Offeritis super altare
 meum panem pollutum. Manibus impuris meum sacrificium tra-
 ctatù. Mallet Christus poni in sterquilinio quàm tracta-
 ri manu incontinentis. Pares an sitis ferendis oneribus ad
 quæ vos disponitis. Si aliquis se Medicum profiteri velit, aut
 Causarum Advocatum, & sic artium illarum non satis gn-
 rus, peccat graviter, quanto magis sacerdos cujus ignorantia
 majora creat pericula? Nemo mittens ad aratrum & retrò
 aspiciens aptus est regno DEI, quia moram facit in aratione.
 Quid si ignoras arandi susciperet negotium Aratoris? An
 possit non quæ sua sunt, sed quæ Christi quærere! Ilai. 22.
 Hæc dicit Dominus DEUS exercituum. Vade ingredi ad eum
 qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices
 ad eum? Quid tu hic, aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic
 sepulchrum in petra tabernacula tibi? Pro me nihil fecisti.
 Ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus,
 & quasi amictum sublevabit te. Coronans coronabit te tribula-
 tione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam, ibi mori-
 eris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui.

Et expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Audite iterum vocem DEI apud Ezech. 34. Fili hominis propheta de Pastoribus Israël, propheta, & dices Pastoribus. Hæc dicit Dominus DEUS. Va Pastoribus Israël qui pascabant semetipsos non greges, nonne greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascbatis quod infirmum fuit non consolidastis, & quod agrotum non sanastis, quod contractum est non alligastis &c. &c. Ecce ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu eorum &c. &c. Sciant magnum esse meritum Sacerdotis, magnum & demeritum. Durum enim est sacerdotum iudicium, Bera. in declamat. Cum caperint resurgere homines unusquisque in ordine suo, ubi putas generatio ista clericorum locabitur? Si ad milites forte dixerint, exsufflabunt eos qui minime secum labores aut pericula tolerarint. Sic Agricola, sic negotiatores, & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, ut potè qui in labore hominum non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter & accusat, eum fornicantur locum ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hæc de otiosis Clericis, quòd de scandalosis? Cogitet ergo an tale exemplum possit dare ut jure de illo dici possit. Nolite tangere Christos meos. Sed Greg. Moral. 33. An non predicatorum simulationis Antichristi sunt, qui cum sacros ordines DEI obtinent, fugientem totis desideris mundum tenent? Ponemini in candelabro, qui hæctenus fuistis sub modio. Sic luceat lux vestra &c. Oportebit populum ambulare in luce vestra, cavete ne lumen vestrum fiant tenebræ. Vos ericis sal, videte ne infatuemini, quia & ab hominibus & à bestiis, si fueritis infatuati, calcabimini. Sal nascitur ex aqua Sacerdos ex muliere, sed si sal attigerit aquam diluit, & in terram cadit; & fit lutum. Hai. 52. Mundamini qui ferris

vaf

vasa Domini. De quo Greg. 2. Pastor. 2. Quantum debeant mundari conspiciant, qui ad eternitatis templum vasa vivencia in sinu propria sponsonis portant. Malach. 1. Labia Sacerdotum custodient legem. De hoc Greg. hom. 6. Nemo dicat, admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe, ne male servatum quod acceperas talentum, in tormentis pendere exigaris. Talentum est quod Sacerdotio adjungitur, & confertur à DEO iis qui ab eo sunt vocati, Munus docendi populum; ne lamentari possit ut suis temporibus lamentabatur, Greg. hom. 17. Ad pœnam nostram ut video, Episcopi Sacerdotes vocamur qui honoris nomen non virtutem tenemus, &c. Ad pœnam, ut scilicet gravius judicemur, ac dannemur. Pergit idem. Nullum puto ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus voluerat DEUS, quando eorum quos ad aliorum correctionum posuit, dare de se pravitate exempla cernit, quando ipsi peccamus qui compefcere peccata debuimus &c. Nos percunt populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Scitis qualis cibus Sacerdotum. Peccata populi comedes, ut ciconia serpentem ut ab iis purget prata. Alter cibus libri, dictum Ezechielii Sacerdoti, Comede volumen, idem dictum Joanni in Apoc. Potus, dictum filiis Zebedæi. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Persecutiones propter veritatem, occupatio, oratio. Sed contra quendam Sacerdotem Cypr. Epist. 64. Quam hic precem in conspectu DEI pro Fratribus faciet, cum DEUS peccatores non audit? Contrectat pudorem incestus, fidem perfidus, religionem profanus, Divina terrenus, Sancta sacrilegus. Lectus quis Sacerdotis? Vulnus lateris Christi, ex illo procedit Ecclesia, in illo quiescat Sacerdos, & in illo dum quæritur inveniatur. Sed fortasse quærentibus contingit aliquando quod contigit Nunciis Saul dum quærent in lecto Davidem, invenerunt pro eo statuam, cum pellibus caprinis & quidem

quidem in latere Christi, sed ut idolum, ut abominatio in loco sancto. Contingit forè quod Petro & Joanni qui cum quaerent Christum in sepulchro, non invenerunt nisi linteamina: non invenitur nisi vestis, deest res ipsa. Memores sitis quàm frequentissimè sacrificium Domino offerre. B. Laur. Justinian. dicebat de omittentibus celebrationem Missæ. *Qui cum possit Domino suo frui, & non fruatur, facile se declarat Domini sui curam non habere.* Accedite jam qui vocati estis à DEO, sed accedite, in puritate, sanctitate, nota sit modestia vestra hominibus, videant opera vestra & glorificent Patrem vestrum. Nunquam à vobis recedat timor DEI, non dominetur peccatum in vestro corpore. Sancta tractate sanctè, alioqui dicit vobis DEUS. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum, holocausta arietum & adipem pingvium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, cum veniretis ante conspectum meum quis quasi vit hæc de manibus vestris, cum ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt catus vestri. Kalendas vestras & solennitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens & cum extenderitis manus vestras, avertam oculos à vobis.*

In Consecratione Abbatissæ.

DUO munia accipit in se Præfata Monialium, & ut custodiat Virgines, & ut regat Religiosas. Utrumque est sublime. Virgines sunt Christi sponsæ: Religiosæ sunt vasa Christo consecrata. In quocunque horum defecerit grande instar judicium, & tanquam proderet Christi thesauros vapulabit: pro utraque ingens præmium. Si enim seipsum

G

custo-